



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 97. Ejusdem scripta ac libri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C 1414.

§. XCVII.

Hussi scripta ac libri.

Præterea ad valvas Ecclesiæ, Bethleem dictæ affigi iusserat scriptum, in quo Clericos de sex erroribus accusat; quod crederent. I. Sacerdotem celebrando Missam, sui Creatoris fieri creatorem. II. Eos in B. V. Mariam, Papam, & Sanctos credere teneri. III. A Prælati culpam & peccati pœnam remitti posse, quandounque voluerint atque eisdem placuerit. IV. Superioribus esse obediendum, siue eorum præceptum sit justum, siue iniquum. V. Omni excommunicatione siue justa, siue injusta excommunicatum ligari. Sextus, quem Clericis imputabat, error Simoniam spectabat. Adversus secundum de existimatis hisce erroribus speciatim duos conscripsit tractatus, in quibus in Ecclesiam & Sanctos credendum esse confitetur, affirmans, dici non posse, quod credatur in Ecclesiam eo modo, quo dicitur: *Credo in Deum.* Ast hoc Catholicorum nemo ullus unquam docuit. In uno ex dictis opusculis insinuat, confessionem, ut Sacerdoti fieret, non esse necessariam. Insuper eodem tempore tres copiosos elucubravit tractatus adversus Clericos. Primus inscribitur, *Anatomia membrorum Antichristi*, alter

ter vero titulum præsefert, *de Regno, populo, vita & moribus Antichristi.* Denique tertius: *Abominatio Sacerdotum ac Monachorum carnalium in Ecclesia Dei.* Præter hæc adhuc alia quædam edidit opuscula adversus traditiones de unitate Ecclesiæ, de perfectione Evangelica, item de Mysterio iniquitatis, & de Antichristo. In hisce omnibus aliisque operibus tetra Hussi contra Clerum bilis atque iracundiæ impetus, necnon eadem principia, iidemque errores occurrunt.

Sæcul. XV.

A. C. 1414.

§. XCVIII.

Varie epistolæ Joannis Papæ contra Hussum.

Joannes XXIII. Hussi contumaciam & seditiosos ejusdem libellos indignatus, omnem movit lapidem, ut eum vel carceris pœna compesceret, vel quovis modo ad saniora reduceret. Hunc in finem literas mittit ad Carolum VI. Galliarum Regem, necnon ad Universitatem Parisiensem, ansamque præbet Joanni Gersonio, ut Conradum de gravissima ulteriores errorum, quibus sua diocesis infecta diceretur, progressus inhibendi necessitate commoneret, eidem suadens, ut sæcularis judicii securim ad radicem infructuosæ hujus ac maledictæ arboris adhi-

Gerson. tom. 2. p. 901.

adhi-